

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **M. Vitruvii ... De architectura libri decem**


**Vitruvius  
Frontinus, Sextus Iulius**

**Argentorati, 1543**

Capvt X

[urn:nbn:de:bsz:31-128539](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128539)

BALNEARVM DISPOSITIO ET EARVM  
*interiorum membrorum affigurata constructio.*



*Suspensu*

B  
 tur  
 ita  
 bus  
 col  
 tur  
 sifi  
 rin  
 cia  
 cin  
 gul  
 bus  
 per  
 lo f  
 pri  
 pol  
 beb  
 con  
 bal  
 Q  
 &  
 suis  
 spa  
 et  
 nus  
 des  
 te f  
 me  
 ten  
 nis  
 à m

Suspensuræ caldarium ita sunt faciendæ, uti primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocaustum, uti pila cum mittatur, nõ possit intro resistere, sed rursus redeat ad præfurnium, ipsa per se ita flamma facilius peruagabitur sub suspensione, supraq; laterculis bessalibus pile struantur ita dispositæ, uti bipedales tegulæ possint supra esse collocatæ. Altitudinem autem pile habeant pedum duorum, eaq; struantur argilla cum capillo subacta, supraq; collocetur tegulæ bipedales, quæ sustineant pavementum. Concamerationes uero si ex structura factæ fuerint, erunt utiliores. Sin autem contignationes fuerint, figlinũ opus subiiciatur. Sed hoc ita erit faciendum. Regulæ ferreæ aut arcus fiant, eaq; uncinis ferreis ad contignationem suspendantur quàm creberrimis, eaq; regulæ siue arcus ita disponantur, ut tegulæ sine marginibus sedere in duabus inuicib; possint, & ita totæ concamerationes in ferro nitentes sint perfectæ, earumq; camerarum superiora coagmenta ex argilla cum capillo subacta linciantur. Inferior autem pars, quæ ad pavementum spectat, primum testa cum calce trullissetur, deinde opere albario siue tectorio poliatur, eaq; camerae in caldarijs si duplices factæ fuerint, meliorem habebunt usum. Non enim à uapore humor corrumpere poterit materiem contignationis, sed inter duas cameras uagabitur. Magnitudines autem balnearum uidetur fieri pro copia hominum. Sint autem ita compositæ. Quanta longitudo fuerit, tertia dempta latitudo sit, præter scholæ labrum & aluei. Labrum utiq; sub lumine faciendum uidetur, ne stantes circum, suis umbris obscurent lucem. Scholæ autem laborum ita fieri oportet spatiosas, ut cum priores occupauerint loca, circum spectantes reliquæ restare possint. Aluei autem latitudo inter parietem & pluteum, ne minus sit pedes senos, ut gradus inferior inde auferat, & puluinus duos pedes. Laconicum, sudationesq; sunt coniungendæ tepidario, eaq; quàm late fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curuaturam hemispherij, mediumq; lumen in hemispherio relinquatur, ex eoq; chypeum æncum cætenis pendeat, per cuius reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura, ipsumq; ad circinũ fieri oportere uidetur, ut æqualiter à medio, flammæ uaporisq; uis per curuaturæ rotundationes peruagetur.